

Caetera subitico longum cantanda per aevum,
 Quae gentes, quae regna tibi, quae serviet aetas,
 Semper in Oenotriis senuisti acerrimus armis.
 Pallasque, ut sceptrum, divinas contulit artes,
 Prudens eloquium, et linguae venerabile donum,
 Tot variisque sonare modis, mihi lingua palato
 Haeret, et albentes vix¹¹⁸ attigit arida dentes,
 Anteaquam¹¹⁹ tibi gestorum numeravero partem
 Tantillam, quid enim praeclarae nomina¹²⁰ stirpis,
 Quid reliqua enumerem? citius, quam copia, desunt¹²¹
 Tempora, grandiloquo solum cantanda Maroni,
 Nec nisi Smyrnaeo gesta enarranda cothurno.

Virgilius
 Homerus

Illi Parnasi fontes, et Phocidis amnes
 Haustibus exorbent plenis, mihi gutta negatur,
 Et cyathis versis, sitiens ego pocula lambo.
 Da veniam (dare nanque tuum) iustissime Caesar,
 Si tua facta minus, maiestatemque verendam
 Attigero, quis enim tam paucis exprimet author?
 Semper in ore meo regum veneranda potestas,
 Tuque caput mundi, longos tibi Juppiter annos,¹²²
 Detque¹²³ Sibyllinam duplicata aetate senectam,
 Cum quo perpetuum regis invictissimus orbem.
 Telos.¹²⁴

Post Coronationem Sapphicum eiusdem.

O diem clarum penitusque faustum.
 Hora longaevo recolenda saedo
 Nostra dum Caesar viridi coronas
 Tempora Lauro.

Non ego tantam merui coronam
 Gratias non sum satis unus aequas
 Solvere, et dignas querulo camoenas.
 Promere plectro.

Sed rogo donum capias pusillum.
 Quando non maior mihi sit supellex.
 O vale tota venerandus orbe.
 Inclyte Caesar.

Ecce hoc.

Nil in hoc mundo meruit beari.
 Sit sciens, doctum, nitidum, venustum
 Sola supremum speciosa virtus
 Aethera scandit.